



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 8. Quid dicendum de juramento ficto, & doloso.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

Q. 8. *Quid dicendum de juramento ficto, & doloso?*

Resp. I. Juramentum exterius factum sine animo jurandi, est semper intrinsecè malum. Quia 1. est mendacium, nam sic jurans exterius significat se habere animum jurandi, quem tamen non habet. 2. Est irreverentia in Deum abuti ejus nomine, & majestate ad decipiendum proximum. 3. Est intrinsecè malum evertere finem principalem juramenti, qui est firmare veritatem, & sinceritatem, & pacta. At nisi homines graviter obligarentur ad habendam sinceram intentionem, cum jurant, prorsus everteretur juramenti finis, & securitas, ut notat Suarez; inde inferens obligationem hanc esse gravem, utpote ortam ex intrinseca ratione juramenti, & reverentia divini testimonii. 4. Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

Hinc juramentum sine animo jurandi factum, etiam de veritate in contractibus, in judiciis, in re quavis gravi, semper est mortale contra Religionem. Nam est gravis illusio, & abusus nominis Dei contrarius fini juramenti: si enim homines scirent posse fictè jurari sine peccato mortali, nil estimarent juramentum. Et ita docet
com.

communis sententia, quoties juramentum legitime petitur, vel sponte fit. Sed idem dicendum videtur, etiamsi minus legitime exigatur.

A fortiori semper est mortale sic fictè jurare falsum, cum semper sit gravis irreverentia in Deum, ipsum exterius adducere in testimonium falsitatis; & ipsa verba secundum se habeant turpitudinem, & indecentiam gravem.

Resp. II. Etsi juramentum factum sine animo jurandi, sit solum fictio juramenti; cum verba per se non habeant efficaciam, nisi ut sunt vera signa mentis: tamen est obligatio faciendi, quod juratur, ratione injustitiæ, vel damni inde orti, aut orituri, vel scandali, si non præstetur: nam quisque tenetur cavere, ne ex sua actione sequatur alteri damnum ac scandalum, & secutum tollere. Imò juramentum dolosum, saltem si non injustè exigatur, impleri debet ex virtute Religionis; quia, ut ait Valentia, præceptum naturale Religionis obligat ad tuendum honorem divinum non solum efficiendo verum id, in cujus confirmationem reverè invocatum est divinum testimonium, sed etiam id, quod rationabiliter potest credi, fuisse divino testimonio confirmatum: alioqui minueretur per se loquendo honor divinus.

Resp. III. Qui jurat cum restrictione mentali, aut æquivocatione, i. Peccat mor.

mortaliter contra Religionem : nam gravem irreverentiam Deo infert, abutendo ejus nomine, & auctoritate ad decipiendum injustè proximum ; estque perjurus : *Perjuri sunt, qui servatis verbis expectationem eorum, quibus juratum est, deceperunt.* Ait S. August. Epist. 224. Enim verò restrictio mentalis, & æquivocatio propriè, ac simpliciter dictæ, sunt mendacium : nam in illis locutio totaliter sumpta est contra mentem ; cum neque ex se, neque ex circumstantiis habeat vim significandi totam propositionem internam, sed solum significet id, quod verba in sensu obvio præ se ferunt in talibus circumstantiis, quod quidem est contra mentem. Hinc. Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali prestare juramentum, quod de mandato Regis à similibus exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.* 2. Talis peccat etiam contra justitiam, quando juramentum justè exigitur, vel sponte fit, ut in judiciis, contractibus, &c. Nam violat jus, quod alter habet, ne decipiatur ; & ut clarè, sincerè, & secundum ejus intentionem juretur. Quare deceptor obligatur juramento secundum intentionem illius, cui jurat ; nam tenetur tollere decepti-

onem

onem injustam. Ita S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 4. ibi: *Quando non est eadem jurantis intentio, & ejus, cui jurat, si hoc proveniat ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundum sanum intellectum ejus, cui juramentum praestatur.* Unde Isidorus dicit quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientia testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit... si autem jurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem jurantis. Unde Gregor. dicit l. 27. *Moral. humana aures talia verba nostra judicant, qualia foris sonant; divina vero judicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.*

Hinc rogatus juridicè, an crimen aliquod admiserit, quod per se non admisit, sed per alium, cui id præcepit, perjurus est, si juret, se non admisisse: quia hoc juramentum accipiendum est secundum legitimum verborum sensum, quem aut ex communi acceptione, seu usu habent, aut in quo Canones, & leges accipiunt. At fecisse verè dicitur non solum ille, qui per seipsum fecit, sed etiam qui fieri mandavit, c. 6. de *sent. excom.* & l. 1. ff. de *vi armata.* ita Sanchez.

Resp. IV. Juramentum factum cum animo jurandi, sed sine animo se obligandi, vel implendi. 1. Est obligatorium, nam est verum juramentum; cum ad hoc sufficiat

ciat voluntaria invocatio Dei in testimonium: at obligatio ex natura rei inseparabilis est à juramento, supposita materiâ licitâ; nec jurans potest hanc ullatenus vitare, sed necessariò tenetur efficere verum id, quod juravit, ne Deus in testem falsitatis adductus sit. *Ita Suarez, Lessius, Valentia, & alii multi.* 2. Ex communi semper est mortale, tum quia gravis est irreverentia in Deum adducere eum in testem nolendo obstringi illius testimonio, vel obligationem inde contractam implere: tum quia est perjurium, cum sit mendacium juramento confirmatum; nam jurans vocat Deum in testem voluntatis se obligandi, & implendi, quam significant voces, ex usu & fine juramenti, quamque scit se non habere.

Not. Clerus Gallican. An. 1700. has propositiones ut perniciosas, & bonæ Fidei contrarias damnavit: *Qui intentionem jurandi non habet, licet falsò juret, non pejerat, etsi alio crimine tenetur, putà mendacii alicujus. Qui jurat cum intentione non se obligandi, non obligatur ex vi juramenti.*

Q. 9. *Quot modis tollitur obligatio juramenti promissorii?*

Resp. Ex communi his 1. Materiæ mutatione, videlicet si res jurata fiat postea im-

Tom. 1.

Qq

pos